

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4143

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1221

D O G M A T I C I.

1222

&c. Liber II. agit de unitate diuine nature. III. de Trinitate personarum in communi et de pertinentibus ad ipsam. IV. de Deo patre secundum appropriatam sibi rationem primi principij. Libro V. agi de Persona Jesu Christi, et VI. de Peccatis et Virtutibus ex O. P. Scriptorib. T. I. p. 357. intelligo. Libri hi mole inter se inaequales in *Traclatus*, hi vero in *Capita* abeunt. Opus integrum neque ipsis Bibliothecae mox citatae conditoribus videre contigit, ut testatur *ibid. Echar-* *ardus*, qui dum *Scriptores* suos ederet, nondum responsum acceperat ex Abbatia *Corfendoncana* Can. Reg. in *Belgio*, ubi *Summae* nostrae pariter Exemplar extat. Extat vero etiam in *Vaticana*, et quidem signate *Libris* VI. teste *Montefauconio* in *Bibl. Bibl. Mss.* T. I. p. 101. Nostrum deficit in *L. IV. Tracl.* 3. c. 8. de *Diuinatione* hisce verbis: cuius hec sunt uerba in fine celestis *yerarchie*. habet tamen adjectum *Indicem* alphabeticum, ex cujus folius inscriptione nomen *Ulrici de Argentina* innotescit.

CCCXII.

209 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 165. f. partim per columnas, partim lineis longis exaratus, et rubricis distinctus sequentia complectitur Opuscula: I. *Hugonis de Novo Castro Victoriam Christi contra Antichristum*. Constat *Capp. XXXVI.* quorum primum usque ad ea verba: *Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

posset fallere mundum &c. e *Cod.* deperiit; incipit vero, *Waddingo* teste: *Non sum Propbeta, nec Filius Propbetae.* Ultima sunt: *Doctores tamen relinquo determinandum si sint credenda.* Post quae nobis haec Rubrica subijcitur: *Finis huius tractatus de victoria christi contra Antichristum qui magistri Hugonis Parisiens. theologie et decretorum doctor intytulatur et per eundem Hugonem editus sub anno domini. 1322. Scriptus est hic liber per me fratrem Michaelem. 1471. argn. (Argentinae) et finitus potencie virg. eiusdem anni.* Eodem quoque anno, sed sine loci mentione, typis lucem vidit, ut Exemplar *Bibl. Caes.* docet, et testantur *Loescherus*, et *Leichius* apud *Maitt.* et *J. Dom. Mansius* in edit. *Bibl. Fabric. med. et inf. Lat.* L. VIII. p. 290. qui tamen ex adjecto *Parisensis* non recte infert, autorem *Anglum* non fuisse, qualem *Balaeus*, *Pitfeus*, *Tannerus*, *Waddingus* faciunt, qui postremus in *Scriptt. O. M.* p. 179. natum in *Castro novo* (*New-Castle*) dioec. *Dunelmensis*, mortuum vero et sepultum in *Conventu Ordinis Parisino* tradit. Annus, quem librarius adsignavit, fortasse 1 (3) 39. vel 1 (30) 9. est. Anno enim 1322. *Hugo* noster *Capitulo generali Perusino* interfuit, ut apud *Waddingum* cit. habes.

II. fol. 31. rubro: *Eloquentissimi leonardi (Bruni) Aretini Ad illustrem dominam baptistam de malatestis pisauri &c. quam ad lectitandos eciam Gentiles non sine*
B *ratione*

ratione plurimum adhortatur. Initium: *Compulsus crebro rumore admirabilium uirtutum tuarum &c.* Ad calcem egregiae huius Epistolae adjecit Librarius: 1426. die 26. Augusti. Cl. Mazzuchellius Vol. II. P. 4. p. 2210. ejus Editiones enumerat, et Exemplaria Mss. quibus et nostrum adde.

III. fol. 36. Sequitur descriptio baden. id est balneorum Constantiensium. Est nota illa Poggii Bracciolini Epistola tempore Constantiensis Concilii ad Nicolaum Nicolom celebrem Medicum Florentinum scripta de Badensibus in Helvetia, quo excurrerat, Thermis, quae incipit: *Si vales, bene est &c. Per quendam contribulem meum scripsi ad te ex Constantia &c.* et legitur in edit. Opp. Poggii Argent. 1510. fol. 68. in Paris. 1513. fol. 113. in Basil. 1538. fol. 297. Item inter Epistolas Aeneae Silvii, et in Tract. Conr. Gesneri de Thermis, qui extat inter Scriptores de Balneis, Venet. 1553. f. fol. 290. ubi tamen Epistola haec perperam dicitur ad Leonardum Aret. scripta.

IV. fol. 38. Theoderici cujusdam Narratio declamatoria de infelici Casu Alfonsi V. Aragonii, qui dum 1435. post mortem Joannae Neapolitanae regnum occupaturus Cajetam obsideret, a Philippo M. Duce Mediolani, Genuensibus, et obsessis erumpentibus terra marique victus, et una cum Fratribus Joanne Navarrae Rege et Henrico Infante

captus est. Initium est hujus modi: *Theodericus clarissimo uiro Ludowico de tolleto decretorum doctori plurimam salutem. Solebam ad te de hijs que in hac sacra synodo agebantur, ac de alijs minimis maximis mediocribusque rebus litteras uti preceperas mittere.* Synodus memorata non alia est ac Basileensis. Post Praefamen sat prolixum Narratio ipsa in VIII. Particulas dispescitur, quarum tres priores ipsam rei gestae seriem exponunt, quarta de Regum fortuna philosophatur, quinta consolat Reges captos, sexta ad Catalanos et Aragonenses, septima ad Reges cunctos, octava peculiariter ad Regem Castellae (Joannem II) paraenetica est. Particula prima sic orditur: *Notsti siquidem Vir disertissime antiquam controuersiam ac inueteratam questionem Illustrissimi principis regis Aragonum ad apulie regnum vendicandum. Illud quidem an jure vendicet, tu optime scis, nec fuit propositi hic enarrare. — Illustrissima iohanna Regina jam ut deo placuit Vite huius nexibus absoluta Omnes ferme principes. duces. Comites quidem et barones eius Regni Regi Aragonum debitam fidelitatem. deuotionem omnimodam obedientiam denique omnem ac reuerentiam prestiterunt. Quare rex ipse cum regni magnatibus ciuitatem illam fortissimam gaetanam muro maris septam ex ea parte qua terrestrem nescit obsidionem nauali exercitu. Ex alia vero firmo armatorum campo vndique circumpressit. &c.* Ultima Opusculi sunt:

sunt: *Que si tibi grata erunt id et mihi erit pergratum, sin minus forte erga te valebunt erit satis factum officio meo Vale mi pater et domine prestantissime.* Ejus mentionem nullibi fieri video; quo luce dignius putem, cum res *Alfonsi I.* illustret, fugeritque solertissimum *Muratorium*. Scriptum esse paullo post fatalem ad *Cajetam* *καταστροφην*, inde liquet, quod autor *Alfonsum* captivum deploret, quem jam sequente anno 1436. *Philippus M. Vicecomes Mediolani* Dux libertati reddidit. Quis vero autor hic *Theodericus*? Prodiere 1484. *Coloniae* per *Job. Koelhoff* *Job. Gersonis* Opera Tomis III. adjuncto quarto, qui inter varia Aliorum Opuscula continet *Theoderici Vrie* O. Erem. S. Aug. Historiam Concilii *Constant.* inscriptam: *de Consolatione Ecclesiae* dicatamque *Sigismundo* Imp. Historiam hanc reproduxit *Herm. von der Hardt* T. I. P. 1. *Conc. Constant.* vitamque *Theoderici* hujus ex Scriptorum antiquiorum testimoniis digerere conatus est. *Germanus* est illi, cognomine *Vrie*, quasi *Frey* diceret, lectorque *Conventus Onabrugensis*; non tamen dissimulat vir ingenuus legi in *Bibliotheca Hispaniae*, quae *Andreae Schotti* est, T. II. *Francof.* 1608. p. 268. 4. *Theodoricus Vrias Hispanus* (O. Erem. Aug.) *Vir non contemnendae eruditionis reliquit opus de Consolatione Ecclesiae Argentine olim excusum. Floruit ad annum Christi M. CCCC.* neque negat, fieri potuisse, ut *Hispa-*

nus Theologus in *Germanicis* monasteriis ageret. An *Concilii Basileensis* tempora adtulerit, incertum esse ait. At *Job. Schiphowerus* ejusdem Ord. *Conventus et Seculi* in *Chron. Comit. Oldenburg.* c. 9. testatur illum circa an. 1446. superstitem fuisse. Quidni igitur, quemadmodum *Constantiensi* Concilio interfuit, interesse potuit et *Basileensi*? Atqui autor *Narrationis* nostrae *Theodericus* ex *Basileensi* scripsit, ut supra vidimus, et *Hispanus* fuit, ut *Particula VIII. Narrat.* liquido demonstrat, qua ad Regem *Castellae* se convertit, eum *Principem et regem nostrum invictissimum* et *nostrae inclite nationis amplificatorem* compellendo. In *Theoderici Vrie* porro Opere *de Consolat. Ecclesiae* nullius pariter Principis praeter *Sigismundum* Imp. fit mentio, quam *Ferdinandi* et *Alfonsi V. Aragonum*, idque eo animi sensu et adfectu, cujus nulla in homine *Germano* adparet ratio. Cum itaque et stilus utriusque Operis mire congruat, quid vetat opinari utriusque eundem esse autorem *Theodericum Hispanum*, pro vacillante illius aevi orthographia *Uriam, Vriam, Friam* dictum, donec certiora quis e *Germania* vel *Hispania* doceat.

V. fol. 42. rubro *Incipit somnium morale pharaonis ad dominum Theobaldum regem Navarre.* Initium: *Victoriosissimo Principi potestates aereas debellanti domino Theobaldo Regi navarre magnifico Campanie ac Brye Comiti palatino*

1227

C O D I C E S

1228

tino Suus *Johannes* (a *Launha*) *vocatus lemoracen.* (*Lemovicensis*) *bonum certamen certare cursum feliciter consummare. Rex uirtutum congressurus ad prelium &c.* Epistolae sunt numero XX. ingenii exercendi causa conscriptae inter *Pharaonem Regem Aegypti*, ejus Ministros, *Joseph Hebraeum*, et hujus inimicos, quas apud *Judaeum Nicolsburgi* in *Moravia* repertas primus edidit *J. Cpb. Wagenfeilius* ad calcem Epistolae de *Hydraspide Altorf.* 1690. 4. et ex eo *J. Alb. Fabricius* T. I. *Cod. Pseudepigr. V. T.* p. 441. Cum vero in hoc exemplari deficerent Clausula *Ep. XVIII.* et integra *XIX.* et *XX. Epistola*, idem *Fabricius* *Bibl. med. et inf. Lat. L. IX.* e *Cod.*

Bibl. Upsal. ea supplevit. *Sec. XIII.* conscriptas esse *Theobaldi* I. aetas docet, qui tamen non, ut *Fabricius* habet, anno 1216. sed anno demum 1253. diem claudit. Si operae pretium foret, varia nostro e *Cod.* restitui possent. Ita *Ep. I.* pro *cusinum* non bene ariolatur *Fabricius callidum*, sed legendum est *cbusinum consilium* scil. *Achitopheli* oppositum. Pro *xenium* malo *encinium*, quasi dicas, *primitias* (*κωρον*) vel donum, *Gallis les Etrennes.* *Ep. II.* pro *septemplex* prophetie lege *philosophie*, pro *lumen in signis implicate* melius *lumen significationis implicate* &c.

VI. fol. 54. *Kalendarium* rhythmicum cum Praefatione, cujus haec constructio:

Finito legis n *ubilo* *§ figura quiesc* *ente*
Respiret mens in i *§ cor iubilet in m*

Commendata pluribus excellentia Legis novae prae veteri et invocato Deo sic concluditur:

Preterea laud *abilem* *§ te deprecor reyn* *ardum*
Flagrantis odor *§ theologie n*
Vt infra scriptis app *lices* *§ correctionis li* *nam*
Et corrigendo rep *§ obliquitatis ri*
Frons huius kalend *arij* *§ finalis limes m* *embri*
Est caput janua *§ Et cauda in dec*
Et mediis sub fid *ibus* *§ laus christi acti* *onis*
Extollitur in yd *§ kalendis atque n*

Mensium porro *Tabulae* ita concinnatae sunt, ut in *laterculis* dextris chronologia, in sinistris Citationes *Evangeliorum* in Ecclesia legi solitorum decurrant, medium vero eorum *Synopsis* eodem

operosissimo metro rhythmico constructa occupet. Cuius praeterea *Mensi Versus* bini *Fastorum* instar praemittuntur. En *Januarii* initium.

Fastorem

1229

D O G M A T I C I.

1230

*Factorem iamus prescindit et abluit vnda
Paulus fit sanus obit agnes crimine munda.*

Hic christus circumc \int *iditur* \int *et ybesus nomi* \int *natur*
Legaliter prec \int *qui legi domi* \int

Adjecta est *Conclusio*, quae sic terminatur:

Sed ne incuser o \int *cio* \int *a lingua detrah* \int *ente*
Cum quodam bono so \int *concludo sic dic* \int *ente*
Si plus protraherem poss \int *ent* \int *mea carmina sp* \int *erni*
Et sic desperem gaud \int *breuitate mod* \int

*Explicit conclusio libri deo gra-
tias 1472.* Tum sequitur alius
Canon Evangeliorum per annum,
qui etiam in antiquioribus *Missa-
libus* impressis occurrit. Porro,
si de Autore, qui se ipsum in
poeticum hunc equuleum con-
jecit, opinio ferenda esset, vehe-
menter inclinarem in *Petrum de
Rosenbaym* Bojum, Coenobitam
in *Austria Mellicensem* circa an.
1440. fato functum; praeter-
quam enim, quod *Roseum* ejus
Memoriale Bibliorum, de quo in
Historia Typogr. Vindob. verna-
cula P. I. p. 246. commentatus
sum, simili stupendo $\mu\eta\chi\alpha\nu\mu\alpha\tau\iota$
contortuplicatum sit, plura ejus
familia *Metrica* referuntur in *Bibl.
Mellic. a Mart. Kropfio* p. 212.
atque inter ea *Computus* s. *Com-
putus*, qui titulus, si *Car. Du-
cangium* audias, Opusculo nostro
adprime congruit. Duo olim
Computus hujus extitisse *Mellici*
exemplaria, sed utrumque depe-
riisse testis est p. 215. *Kropfius*.
Quid, si is in *Cod.* praesenti su-
pereffet?

VII. fol. 74. *Tra&tatus Magi-
stri Jordani de prerogatiua Roma-
ni Imperij.* Hunc titulum prae-
cedit: *Memoriale Reuerendi Pa-
tris domini Jacobi de columpna
San&e marie in Via lata dyoc. car-
dinal. de prerogatiua Imperij Ro-
mani.* Sed perperam connexum
cum *Prologo* ipsius *Jordani*, qui
prima occupat et incipit: *Men-
tes hominum diuinis informate uir-
tutibus omnem arrogantiam et om-
nem adulationem naturaliter despi-
ciunt. Propter quod ut in presen-
tia vestre dominacionis. san&e pa-
ter. ego humilis. et penitus inex-
pertus arrogantie vicium declinem.
nullatenus etiam si scirem. inten-
dere uellem ornatis sermonibus in
hoc scripto. simplici narratione con-
tensus &c.* Autoris certe haec
sunt, non editoris, cujus dicatio
incipit: *Nuper (itaque inferuit
sciulus) vacante sede per mortem
san&issimi patris domini. N. (Ni-
colai) Pape III. dum ego indig-
nus peccator in ciuitate viterbien-
si. sacramentum corporis et sangui-
nis domini nostri ybesu christi con-
ficerem.*

B 3

ficarem. habens pre manibus librum mihi ad hoc de capella romani pontificis commodatum. Et cum ad illum locum canonis peruenissem ubi sancta ecclesia catholica orare consuevit pro antistite et pro rege ac alijs orthodoxis. memoriam quidem inueni antistitis ut oportuit sed regie dignitatis memoriam non inueni. Neque hoc casu uel scriptoris neglectione factum esse arbitrator. cum eundem defectum in libris religiosorum et secularium clericorum alias tam in urbe quam extra similiter inuenissem. Quo uiso uebementer obstupui. Recogitans qualiter olim dum auferendum esset uetus sacerdotium Et nouum inchoandum Illi qui tunc esse debuerant peculiaris dei populus uidelicet iudei et eorum summi sacerdotes ad eam deuenerant demerentiam ut peccatis suis exigentibus in passione filii dei ueraciter possent dicere regem non habemus nisi cesarem. Eodem modo timui et timeo Quod cum ecclesia romana ad eum statum perueniet ut etiam possit dicere regem non habemus nisi pontificem Tunc talis tribulatio uentura sit in clericis. Qualem antea uenisse cognouimus in iudeis. Sed tucius esse puto tacere. quam de hac materia plura loqui. Vnum tamen audeo addere Quod idem deus qui creauit celum. creauit et terram. Qui creauit solem creauit et lunam Qui creauit marem creauit et feminam Qui creauit superiorem creauit etiam inferiorem rationis portionem. Et quemadmodum romanorum aquila una volare non potest ala Sic etiam

neque petri nauicula inter huius seculi procellas et turbines vno remo ducitur in directum. Et columba que tantum vnā haberet alā Non solum aūibus celi. sed etiam bestiis terre cederet in rapinam. Nullum siquidem animal monstruosum ordinatam uel diuinam uitam habet. Hinc est quod ego quamuis penitus inscius et inexpertus cum uerecundia et tremore. offerre presumo dominacioni vestre pater sancte quoddam scriptum viri doctissimi et venerandi magistri Jordani canonici osnaburgensis. quod ipse ad petitionem quorundam amicorum suorum de prerogatiua romani Imperij edidit Orans et deprecans dominum iesum ut in persona uestre pietatis et mee paruitatis effectum habeat uersiculus ille psalmi in quo propheta orat dicens *Jocundum sit ei eloquium meum Ego uero delectabor in domino.* Totam dedimus hanc Jacobi de Columna Card. editoris dedicatorem, cum quia illam ignorarunt *Basil. J. Herold*, qui Jordani Opusculum lat. et germ. in lucem dedit *Basileae 1559. 8.* et *Sim. Schardius*, qui illud *ibid. 1566.* inter *Scripta de Jurisdict. Autorit. et Praeeminentia Imperiali ac Potest. Eccl. rursus prelo in f. p. 297.* subiecit, tum quia in editione antiquiori *Romae circa an. 1476.* literis fratrum *Udalr. et Lupi Han f. Gallorum 4.* cujus notitiam *Cl. P. Job. Bapt. Audiffredio in Cat. Hist. crit. Editt. Rom. Sec. XV.* ad p. 370. debemus, Dedicatoria haec quidem habetur, sed abest nomen

nomen *Jacobi de Columna*, viri, ut ait *Ptolemaeus Luc.* in *Hist.* sua, *magnae maturitatis et innocentiae et religionem amplexantis*, qui multa sub *Bonifacio VIII.* passus, sed a Successore restitutus in integrum anno 1318. obiit, ut pluribus *Ciaconius* et alii. Opusculum porro ipsius *Jordani*, quem *Heroldus suprac.* perperam Magistrum generalem *Ord. Praed.* alii *Augustinianum* dictum de *Quedlinburgo* s. *Saxonia* credidere, sic incipit: *Multipharie multisque modis dominus vniuersorum in diebus sue carnis dignatus est honorare romanum imperium &c.* Post ea verba: *ures habent et non audient*, *Schardii* p. 300. Librarius noster erronee subiecit: *Explicit tractatus magistri Jordani.* Procedit enim Codex noster, sed multum interpolatus et fusior cum *Schardio* usque ad *Fridericum II.* qui *ultimus* dicitur, in quo post ultima verba: *ad exercitium electorum*, Noster prosequitur: *Nouissime autem diebus istis postquam Imperium per annos quasi triginta duos vacauerat. visitauit deus plebem suam et suscitauit ei principem serenissimum Rupertum (Rudolphum) de habsburg comitem in eius electione concordia et coronacione solempnissima sicut dei gratia cunctis manifestissime apparuit, Sic eciam in ipsius promociione diuinum auxilium nunquam se subtraxit. Sed ego ad describenda huius victoriosi regis magnalia manum retrabo, quoniam ad hoc me penitus insufficientem recognosco. Ignorarunt hanc* $\pi\epsilon\rho\iota\kappa\omicron$

$\pi\eta\upsilon$ *Heroldus* et *Schardius*; legitur vero in edit. *Rom. suprac.* ibique *Rudolphus* audit de *Haldensburch* comes prope *Basileam*, teste *Audiffredio*, qui inde et aevum *Jordani* elicit, nisi fortasse totus iste locus a Scriptore posteriore insertus fuerit. Reliqua usque ad finem, sed alio ordine, etiam apud *Schardium* leguntur. Nihilominus tamen Juris publici *Germaniae* studiosi non sine fructu codicem nostrum adibunt, de cujus Autore insuper consuli potest *Oudinus* T. III. col. 626. qui Editionis nascente typographia procuratae et sine autoris nomine de *Commendatione Romani Imperii* inscriptae meminit, quae utique *Romana suprac.* non est.

VIII. fol. 80. rubro: *Incipit physonomia domini Alberti Ordinis fratrum Predicatorum.* Initium: *Physonomia dicitur quia diuinare docet de effectibus hominum per phisicas formas membrorum &c.* Excerptum est solummodo ex ipso *Alberti* Tractatu, quem habes in edit. *Opp. omn. Lugd.* 1651. T. VI. *Traet.* 2. c. 2. p. 20. f. Definit: *qui ad canes blandientes referuntur.*

IX. fol. 88. rubro: *Ludus cartularum moralisatus.* *Incipit Prologus.* Initium: *Secundum sententiam doctorum Mundus iste sue totum vniuersum regitur a deo &c.* De foliis lusoriis haec: *Hinc est, quod quidam ludus qui ludus cartarum appellatur hoc anno ad nos peruenit scilicet anno domini 1377.* De se ipso Autor: *Vnde ego frater iohannes in ordine predicatorum*

*dicatorum minimus nacione theuthonicus sedens quadam vice in mensa abstractus reuoluens in corde meo hinc inde statum mundi nunc currentis. Et ex abrupto mihi ludus cartularum et quomodo ad statum mundi posset aptari cepi ymaginari &c. De tractatu suo vir festiuis: Si continget aliquem passum non omnibus esse intelligibilem sed aliquibus obscurum et difficilem, tales exeant in buckhem (Beuggen hodie f. Bücken) et iterum in Rimuelden reuertantur et procedant ulterius hunc tractatum legendo — Dicitur enim passus est periculosus nauigio (Rhenum) transeuntibus. Ideo plures in hoc passo exeunt et in alio termino reuertuntur. Habes hic Patriam, Conditionem, Aevum Autoris, qui deinceps Opus suum in Partes III. dividit. Intendit enim 1°. ludum cartularum in se describere quoad materiam et modum ludendi. 2°. ipsum ludum ad mores trahere seu nobilibus dare normam viuendi. 3°. ipsos populares instruere seu eos informare de modo uirtuose operandi. Atque haec Parte I. Capitibus 6. altera 5. tertia 12. exequitur, relictis in Codice nostro spatiis figurarum, quibus textus illustrari debuisset. Ultima Operis sunt: *Et hoc de quarto membro sufficiat et per consequens de toto tractatu.* Dein rubro: *Explicit ludus cartularum 1472.* Ineditum censeo et probe distinguendum ab aliis duobus Tractatibus, quos in simili materia alii duo e Praedicatorum familia Viri edidere. Primus est Ja-*

*cobus de Cessolis, Cassolis, unde corruptum Tessalis et plane Theffalonia, Gallus, cujus Opus de moribus hominum et de officiis nobilium super ludo Scaccorum sub finem Sec. XIII. aut initium sequentis, et quidem, ut ait Breitkopffius in Specim. vernac. de Orig. Chartar. lusoriar. Lipsiae. 1784. p. 115. 4. circa an. 1337. scriptum, in varias linguas versum, et mox sub Typographiae exordia prelo subjectum habemus, quemadmodum Breitkopffius l. cit. Quetifus in Scriptt. O. P. T. I. p. 471. et alii testantur. Alter est M. quidam Ingoldus ejusd. Ordinis, qui lingua teutonica elaboravit *Das guldin spil* nempe *Lusum aureum*, in quo, ut ait titulus, septem Peccata Capitalia totidem lusuum generibus illustrantur. Impressit *Lusum* hunc Güntherus Zeiner Augustae 1472. c. figg. f. videoque ex Praef. Ingoldum decerpisse quaedam ex Scacchiludio (*schaffczagel spil*) Jacobi de tessalis, ut Socium suum appellat; ignorasse vero Johannis nostri, quamvis conterranei sui, Tractatum. Ex quo videri posset, illum ante Johannem scripsisse. Sed, praeterea, quod neque Johannes Ingoldi meminerit, locus ille, quo Ingoldus de foliorum lusu differit, satis persuadet, illum posteriorem fuisse. Ait enim de eo: *Als ich gelesen han, so ist es kumen in teutsch land des ersten in dem iar da man zalt von crist geburt, tausent, drubundert iar.* Vides, ut se ad aliorum referat autoritatem velut testis aeta-*

1237

D O G M A T I C I.

1238

te remotior cum *Jobannes* no-
ster, ut supra dictum est, diferte
annum adventus 1377. eum ip-
sum, quo scribebat, adfignet.
Atque annus hic exacte iis con-
gruit, quae solertissimus inquisi-
tor *Breitkopfsius* hac de re p. 9.
post *Murrium* adnotavit.

CCCXIII.

292 Codex chartaceus lat. Sec.
XVI. Folior. 543. f. hunc prae-
fert Titulum: *Divina admirabilis*
Beati Amadei Apocalypsis. In qua
praecipua Fidei ac Religionis no-
stre Mysteria et Sacramenta ita
profunde aperteque explicantur, ut
nullus penitus de illis tam Philo-
sophis quam Theologis supersit ob-
scuritatatis locus. Adjicitur, testi-
monio *Joh. Euf. Nierembergii*
in *Libro de Aff. et Amore erga*
Mariam V. c. 8. Originale hu-
jus Libri servari in *Bibl. Regia*
S. Laurentii in Escuriali. Id,
quod confirmat *Nic. Antonius*
Bibl. Hisp. vet. L. X. c. 13. p.
208. ubi addit, Opus jam per
manus omnium curiosorum passim
ire; corruptum vero ab aliis,
multisque erroribus scatens ipsi
O. M. Chronographi Gonzaga
et *Waddingus* non diffitentur,
adstipulantibus vulgo Autoribus
aliis, quos citat *Theoph. Raynau-*
du in *Joh. suo Evangelista*, quos
inter *Cornelii a Lapide* jocum dis-
simulare nequeo, ad *C. I. Apoc.*
dicentis: Angelum *Amadeo* col-
locutum *Scotistam* fuisse. Erat
porro *Amadeus* hic e nobilissima
Lusitaniae familia oriundus, an-
Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

teaque dictus *Jobannes Menesius*
de Silva Eremita primum *Hiero-*
nymitanus, post in *Italiam* trans-
gressus Sodalitioque *Franciscano*
adscriptus mira ibi pietatis opi-
nionem claruit, diemque *Mediola-*
ni 1482. claudit, postquam *Six-*
to IV. conscientiae arbitrum egis-
set. Opus suum ita orditur: *Ego*
Amadeus fui raptus ex spelunca
mea, ubi orabam, in *Monticulum*
quendam, et in *Rota*, ubi Deo
astabant Angeli, et *Animae Sancto-*
rum, quos colimus et uenera-
mur, et dum ibi essem, pauor ac
tremor me obruit, nec sciebam uer-
bum proferre, sed eram quasi ho-
mo sine sensu et cognitione. Tunc
astitit mihi *Vir* aspectu decorus,
facie et uultu rutilans, et talibus
uerbis me alloquitur dicendo: *Cog-*
noscis me, serue Dei? ad quem
ego; Domine mi, nunquam am-
plius in loco isto fui, nunquam ta-
lem caetum uidi, nunquam talem
splendorem sensi, quomodo te ag-
noscere possum? At ille; Ego
sum Gabriel ille &c. Atque hinc
novae *Apocalypses*, quibus in-
cumbant ingenia, quae *Vetus*
non fati exercet. Finis Operis:
legi isti Vestre aliam non succes-
suram, quia Regni Christi non erit
finis. Adjecit Librarius: *Expli-*
cit Aureum hoc imo prorsus Di-
uinum Opus Reuelationum Bea-
ti Amadei, cui J. Alb. Fabri-
cius, qui inde Psalmos II. pro-
tulit, integro inter Apocrypha
sua locum dare potuisset, nisi
temporibus nostris tam vicinum
esset.

C

CCCXIV.